

monium dicunt, docet Tit. v. libri xxii. & titulus xx. libri iv. Codicis, & novella xc. de testibus. Constitutio autem ix. ejusdem xx. tituli, ait, quod unus solus non audiatur, etiamsi honore præfulgeat. Hæreticus autem omnino contra orthodoxum non dicit testimonium, nisi propter curialem statum orthodoxus in jus vocetur, ut tradit lib. i. Codicis, tit. v. Const. xxii. & novella de decurionibus & cohortalibus hæreticis 45. quæ relata est inter Paratitla tit. 3. novellarum. *Bals. Schol.* Tit. v. lib. 22. digest. est tit. i. libri 21. Basilicorum. Tit. 20. lib. 4. Codicis est cap. 21. tit. i. lib. 21. quod sic habet: rejiciendus a dicendo testimonio est, qui tumultuosam petulantiam designasse judicatus est. Novella xc. de testibus posita est in lib. Basil. 21. cap. 36. Const. ix. tit. 20. lib. 4. Codicis, posita est in lib. Basil. 21. tit. i. cap. 36. themate 2. quod ita habet: Jurare testes prius oportet, quam testimonium perhibeant. Oportet autem honestioribus potius fidem haberi: proinde unius testimonium in nulla causa admittendum est, etiamsi Senator sit. Constitutio 21. lib. i. Cod. tit. 5. & lib. 21. Basil. tit. i. cap. 45. quod sic habet: ex hæreticis Manichæi, Borboritæ, Pagani, Samaritæ, Montanistæ, Tascodrogitæ, Ophitæ, vel qui Judaicam superstitionem colunt, in nulla re testimonium perhibent: reliqui vero omnes in judicio, quod orthodoxum litigatorem habet, ne admittuntur: in cæteris autem contractibus, testamentis, aut judiciis, quæ hæreticos litigatores habent, quo latior facultas probationum sit, sine distinctione testantur.

*Cap. 6.* Constitutio 8. tit. 4. lib. i. ait, quod sententiæ Episcoporum similes sint sententiis Præfectorum. Et Constitutio 29. ejusd. tituli, sive solus Metropolitanus, sive cum Synodo sua, Episcopi aut Clerici causam judicet, & sententiæ non acquiescatur, ejus Dioecesis Patriarcha cognoscit, ipsiusque judicatis, perinde atque si ab initio judicasset, insistitur. A Patriarcharum namque sententiæ non provocatur. *Bals. Schol.* Constitutio 8. tit. 4. lib. i. non est posita in Basilicis: neque ejusd. tit. Const. 29. *Cap. ix.*